

sufficit ubi bellum est defensivum, immo et practice ubi offensivum est, siquidem de his causis vix aliter judicare possunt gregarii milites quam probabili conjectura vel praesumptione.

VI. In bello justo licet facere ea omnia quae ad finem belli sunt necessaria, dummodo nihil fiat contrarium juri naturali vel gentium. Hinc :

1° Non licet, extra actuale certamen, occidere innocentes : quo nomine veniunt tum ii qui arma non portarunt, tum etiam milites qui tantum coacti (ut hodie plerumque contingit) in bello participarunt : innocentes enim extra casum legitimae defensionis occidere juri naturali repugnat. (n. 371) Immo hodie in more positum est ne occidantur ii etiam qui forte injustitiam belli cognoscentes pugnaverint.

2° Licet contra hostem adhibere insidias et stratagemata (2. 2. q. 40. a. 3) : hoc enim nihil aliud est quam ipsis consilia propria abscondere. Sic exploratores, qui sub amicorum specie mitti solent, non peccant, nisi forte leviter ob mendacia quae proferant. At graviter adversantur, saltem juri gentium, ea stratagemata quae nullatenus caveri possunt et grave periculum innocentibus creant, ut veneno inficere fontes.

3° Peccat qui fidem hosti datam frangit, nisi eam dederit coactus seu injusto metu ad iniqua promittenda adactus, vel hostes eam non servent, vel circumstantiae sint prorsus mutatae. (Bus. ap. S. Alph. n. 410)

4° Praxis hodie communiter recepta est ut, excepto bello navali, bona privatorum non diripiantur ab hostibus. Attamen injustum non est tributa bellica imponere civitatibus vel vicis qui hostiles actiones exercuerunt et fontes tradere nolunt vel nequeunt. (Lehm. I n. 857)

Multa alia circa bona diripienda, acquirenda, restituenda, agitant DD. quae, utpote minus practica, omittimus. Ceterum, ubi res non aperte injusta est, multum concedendum est consuetudinibus receptis et necessitati verae vel saltem existimatae.

SECTIO VI. — DE SEXTO ET NONO PRAECEPTO.

386. Sextum Decalogi praeceptum sic sonat : “ Non moechaberis „ (Ex. XX, 14) ; nonum autem : “ Nec desiderabis uxorem ejus „ i. e. proximi tui. (ib. 17) Ambo simul explicari solent, quia sicut sexto externa, ita nono interna luxuriae peccata prohibentur.

Imprimis agemus de peccatis luxuriae consummatis juxta naturam ; deinde de iisdem consummatis contra naturalem ordinem ; tandem de peccatis luxuriae non consummatis. De peccatis internis jam multa explicata sunt in tr. de Peccatis, nn. 169 seqq.

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATAE JUXTA NATURAM.

§ I. NOTIONES PRAEVIAS.

387. I. Luxuria est vitium capitale quo quis inordinate appetit delectationem veneream.

Inordinate, i. e. contra rectae rationis ordinem, quod (ut postea fusius explicabitur) semper contingit quando haec delectatio extra matrimonium vel contra matrimonii obligationes quaeritur.

Venerium dicitur id quod ex se proxime ad generationem pertinet. Hinc, quo clarius percipiatur qualis delectatio dicenda sit venerea, quaedam de generationis natura praemittenda sunt.

Generatio distinguitur in *activam* et *passivam*.

Activa generatio idem sonat ac copula, coitus, concubitus ; consistit autem in eo quod membrum virile in vaginam feminae immittatur ac semen virile in vase femineo deponatur. Passiva generatio est congrua unio seminis masculini cum semine seu ovulo femineo in utero feminae. Cfr. Capellmann, Medic. past. p. 132.

II. Inter antiquos DD. multum controvertebatur num, in actu copulae, verum semen prolificum a femina sicut a viro effunderetur et active ad generationem concurreret. Affirmabant Scotistae cum Galeno ; negabant plerique, cum Aristotele et S. Thoma. (3. q. 31. a. 5. ad 3) Hodie autem physiologica observatione constat magnum discrimen vigere inter rationem qua uterque sexus ad generationem concurrat. Nam viri testibus secernitur humor quidam seu sperma cui innatant corpuscula quae *spermatozoïda* nuncupantur. Apud feminas quoque, in actu copulae, humor quidam secernitur et profluit e glandulis quae, ob situm suum, vulvo-vaginales audiunt. At humor ille minime essentialis est ad generationem : ad hanc enim feminae concurrunt tantum sup-

peditando ovula, quae a spermatozoidis fecundentur, et ideo testes muliebres hodie *ovaria* dicuntur. Avulsio autem ovuli feminei quandoque libidine acceleratur; sed etiam sine ulla libidine et sponte fit, ita ut apud singulas feminas fere singulis mensibus, vel forte crebrius, ovulum ab alterutro ovario avellatur. Cfr. Lecomte. *De l'Ovulation spontanée de l'espèce humaine*.

Cum hac ovuli avulsione fit quidam sanguinis fluxus qui dictus est *menstruus* eo quod plerumque 28^o die redire solet, a tempore pubertatis (in Belgio circa annum 15^{um}) usque ad menopausim (quae generatim contingit inter annum 48^{um} et 52^{um}) (1). Hujus fluxus finis naturalis est ut ovulationis opus sanguinis calore juvetur et foetui, si forte concipiatur, alimentum prostet. Durat autem regulariter a duobus ad octo dies, per quos mulieres patiuntur ea quae medici vocant *molimina menstrualia*. Postulat quandoque mulierum valetudo ut medicaminibus provocetur fluxus menstruus: qua in re nulla est moralis difficultas, cum hujusmodi fluxum non comitetur venerea delectatio. Ejusdem absentia non est indicium sterilitatis.

Vero semine carent eunuchi et impuberes. Masculi, in regione nostra, pubertatem raro attingunt ante annum 15^{um} completum; ante annum vero 18^{um}, semen eorum non solet esse prolificum seu spermatozoidis refertum.

338. III. Praeter seminis effusionem, theologi commemorant *distillationem*. Haec est, juxta Capellmann (Med. Past. p. 81), "profluvium humoris pituitosi ex urethra. Humor iste oritur ex glandula prostata et ex glandulis pituitariis urethrae, nihilque commune habet cum semine proprie dicto nisi effluviū locum. Distillatio locum habere potest in hominibus puberibus atque impuberibus (etiam in castratis); potest masturbatione provocari vel etiam sponte accidere; potest tandem conjuncta esse cum voluptate vel ea carere. „ Eadem contingere potest etiam in feminis, in actu copulae vel, ubi alias veneream voluptatem quaerunt, effusione humoris e glandulis vulvo-vaginalibus.

Per *motus carnales, motus venereos, rebellionem carnis*, Theologi intellegunt erectionem membri virilis vel clitoridis femineae cum voluptate conjunctam. Hanc erectionem tribuere solebant *spiritibus generationi inservientibus*, dum reapse tribuenda est sanguini qui, ob causas maxime varias, ad illa membra confluit.

(1) Limites hic damus pro nostra regione juxta Dr. Hubert, *Accouchements*, etc., t. I. pp. 12 et 28. In regionibus calidioribus pubertas citius incipit et desinit. In eadem adhuc amplius influunt physicae singularum mulierum dispositiones: sic pubertatem accelerant bona valetudo et copiosus cibus, retardant debilitas et inopia. Cfr. Béclard, *Traité élém. de physiologie*, II. p. 636.

Uberiorem horum phaenomenorum explicationem videsis apud recentiores Physiologos vel apud Eschbach. (Disp. physiol. theol. disp. 1. cc. 1-4)

Solent quoque Theologi membra corporis in triplicem classem dividere pro majore vel minore eorum aptitudine ad veneream delectationem per aspectum, tactum, oscula, etc. excitandam: nempe in honesta, minus honesta, inhonesta seu turpia. Sed de quibusdam membris denominandis alii aliter sentiunt. Praecipue attendendum inhonestas censeritantum partes genitales hisque proximas. (Ball. P. n. 26)

339. IV. Quo melius objectum luxuriae proprium ab iis quae affinia sunt discernatur, juvat in homine triplicem delectationem discernere: *veneream, sensibilem, intellectualem*.

1^o Venerea, juxta superius dicta, ea est quae sentitur in partibus genitalibus et ad generationem proxime spectat. Talis ergo censenda non est quaelibet delectatio quae in iis partibus sentiatur, ut puta e mero contactu rei mollis, sed quae saltem initium sit illius voluptatis quam natura seminis effusioni adnexuit. Completa delectatio venerea habetur pro viris in effundendo semine; incompleta in motibus et excitationibus effusioni praeviis. Pro feminis vero, completa sentitur in clitoride et bulbo vaginae cum humoris secretionem: incompleta, in commotione praesertim clitoridis.

Magnum discrimen quoad hanc voluptatem inter virum et feminam viget. Vir enim, nisi forte luxuria prorsus extenuatus sit, vehementi voluptate perfunditur dum semen emittit; femina vero in copula habenda humoribusque discernendis, nunc magnam, nunc parvam vel nullam voluptatem experitur, quin etiam interdum dolet.

2^o Delectatio sensibilis in duplicem speciem aptius dividitur (neque enim omnes eodem modo dividunt et definiunt): in *pure sensibilem* et *sensibilem carnalem*. Scilicet:

a) Pure sensibilis ea est quae oritur ex objecto quod de se praecise aptum non est ad delectationem veneream excitandam, ex. gr. quae desumitur e tactu holoserici, auditu musicae, olfactu floris, etc. Haec per se indifferens, neque radicaliter mala est.

b) Sensibilis carnalis ea est quae, licet hic et nunc delectationem veneream non commoveat, oritur tamen ex objecto quod de se aptum sit ad talem delectationem excitandam, ex. gr. e tactu vel osculo feminae, quod ab agente ad veneream libidinem non ordinetur. Propter hanc aptitudinem solet dici hujusmodi delectatio *radicaliter mala*. (Struggl, tr. 7. q. 4. n. 4)

3^o Intellectualis ea est quae in animo sedem habet et, pro objecti sui natura, bona vel mala est. Cfr. n. 172 seqq. Haec saepe comitatur delec-

tationem pure sensibilem, ut si quis delectatur ex honestis osculis, amplexibus vel tactibus exhibitis in signum casti amoris et amicitiae : " Haec enim est potius voluptas mentis et gaudium animi de honesta amicitia et benevolentia quam affectus sensitivi. " (Sporer, Theol. Sacram. p. 4. n. 680) Hinc Ball. P. (n. 70) carpit illos qui omnem delectationem ex amplexu oriundam, si non sit mere sensibilis, statim vocant veneream " perinde scil. ac si de animalibus brutis ageretur. "

V. Peccata luxuriae dividuntur in actus *perfectos* seu *consummatus* et *imperfectos* seu *non-consummatus*.

Priores illi sunt in quibus fit libidinosa seminis effusio, dum in posterioribus voluptas venerea ad hanc effusionem non pertingit. Hos multi cum S. Th. (2. 2. q. 154. a. 1. ad. 5) vocant peccata *impudicitiae*.

Actus consummati ulterius subdividuntur in *consummatus juxta naturam* et *consummatus contra naturam*, prout ex iis, spectata ipsa *actus ratione*, generatio sequi possit vel nequeat. Priores *juxta naturam* dicuntur, quia homo in iis servat ea quae natura ad hunc actum praestituit.

§ 2. DE SPECIEBUS PECCATORUM QUAE JUXTA NATURAM
CONSUMMANTUR.

390. Poni solent horum peccatorum species sex, cum S. Th. (2. 2. q. 154. a. 1 et a. 10) : *fornicatio simplex*, *adulterium*, *incestus*, *stuprum*, *raptus*, *sacrilegium*. De quibus generatim advertet :

1^o Illorum peccatorum, quatenus *castitati* adversantur, eandem esse malitiam : nam in singulis habetur congressus indebitus maris cum femina. Differentiae autem quae superadduntur, ex oppositione ad alias virtutes, praesertim justitiam et religionem, adveniunt. Hinc, probato gravi reatu simplicis fornicationis, statim patet reliquas species graviter adversari castitati.

2^o Easdem differentias, quae hic de peccatis juxta naturam consummatis ponuntur, posse similiter reperiri in peccatis non consummatis, ex. gr. tactu impudico cum conjugata, et in peccatis contra naturam consummatis, ex. gr. copula onanistica cum conjugata.

De singulis breviter explicabimus quid sint et quem reatum inducant.

391. I. Simplex fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu.

In hac definitione voces *solutus*, *soluta* designant virum et feminam qui nullo speciali vinculo religionis (ob votum), piefatis (ob consanguini-

nitatem vel affinitatem) vel justitiae (ob matrimonium) ligentur, ex quo *gravis* malitia peccato violatae castitatis accedat.

Fornicationem simplicem esse peccatum grave constat :

1^o Ex S. Script. ex. gr. 1 Cor. VI, 9 : " Neque fornicarii, neque idolis servientes regnum Dei possidebunt. " — Eph. V, 5 : " Omnis fornicator aut immundus... non habet hereditatem in regno Christi et Dei. " — Gal. V, 19 seqq. ubi Apostolus, de fornicatione aliisque vitiis locutus, concludit : " Qui talia agunt regnum Dei non consequentur. "

2^o Ex ratione. Nempe ad educationem hominis non tantum requiritur cura matris a qua nutritur, sed multo magis cura patris a quo est instruendus et defendendus et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. Huic autem tanti momenti tamque necessario bono graviter adversatur concubitus vagus, qualis habetur in fornicatione. Ergo fornicatio, quae tam graviter bono proli educandae adversatur, est peccatum mortale. " Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione : quia id quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id quod communiter accidit, et non secundum id quod in aliquo casu potest accidere. " (2. 2. q. 154 a. 2) Vid. si fornicator proli providet, id unice ex ejus voluntate oritur : manet tamen ipse actus fornicandi repugnans ordini naturae, quo postulatur ut relationes inter utrumque sexum non foveantur sine stabili vinculo.

Ideo fornicatio est *intrinsece mala*, non solum lege positiva prohibita, ut dicebatur in prop. 48^a ab Innoc. XI damnata : " Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. "

A fornicatione specificè non differunt *concubinatus* et *meretricium*. Prior est fornicatio habitualis, sive in eadem domo, sive separati habitent vir et mulier. Habitus tamen ille confessario petenti manifestandus est, cum saepe inde occasio proxima peccati in futurum maneat ; immo sponte fatendus, si quando, ex. gr. ob cohabitationem, grave scandalum datum est. Saepe etiam vox concubinatus usurpatur ad designandum habituale adulterium, incestum, sacrilegium. Meretricium autem designat condicionem mulieris quae solet omnibus petentibus sui corporis usum concedere.

392. II. Adulterium est copula illicita in qua uterque vel saltem alteruter coeuntium est matrimonio junctus.

In adulterio, praeter malitiam contra castitatem, reperitur malitia contra justitiam : violatur enim jus quod conjugi in corpus compartis competit. Igitur, quando uterque conjugatus est, duplicatur injuria, ac propterea haec circumstantia in confessione exprimenda est.

Quodsi conjux in peccatum illud consentiret, maneret certe adulterium, ut liquet ex damnatione prop. 50^{ae} ab Innoc. XI: "Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum." Dissident aliquatenus AA. in ratione rem explicandi. Praeplacet sententia, quam inter alios tenet Ball. P. (tr. 8. p. 2. n. 7): manere injustitiam eo quod consensus ille est moraliter nullus, siquidem conjux caret potestate renuntiandi juri quod, ex ipsa matrimonii natura, est inalienabile. Ideo circumstantia hujus consensus non est in confessione exprimenda: quamvis hanc obligationem asserant Lugo (de Just. et J. disp. 8. n. 10) alique, eo quod in tali adulterio rationem injuriae contra conjugem cessare opinatur.

393. III. Incestus est congressus cum consanguinea vel affini usque ad quartum gradum.

Malitiae contra castitatem, in incestu, accedit gravis malitia contra pietatem. Praecipua ratio est, quod in copula carnali habetur quaedam turpitude contraria honorificentiae quam homo debet parentibus suis et per consequens aliis consanguineis qui ex iisdem parentibus de propinquo originem trahant. Alias rationes videsis 2. 2. q. 154 a. 9. Quod autem ad quartum gradum haec malitia extendatur, a lege ecclesiastica matrimonium ad hunc usque gradum dirimente repetendum est. Quare copula inter consanguineos ad matrimonium ineundum dispensatos probabilius non est incestus. (S. Alph. n. 452)

Probabile est non differre specie incestum cum consanguinea ab incestu cum affini, quia propter eandem rationem uterque prohibetur. Similiter probabile est non esse exprimendum gradum consanguinitatis vel affinitatis, excepto tantum primo gradu consanguinitatis vel affinitatis in linea recta, puta inter patrem et filiam, vitricum et privignam, etc. In primo enim gradu eoque tantum habetur motivum speciale ob quod commixtio carnalis prohibeatur, nempe reverentia parentibus a filiis debita, quae non est ejusdem rationis ac reverentia ceteris consanguineis vel affinibus debita. (S. Alph. l. 4. n. 448 seqq. et l. 6. n. 469 seqq.) Specialem etiam malitiam habet et ad incestum refertur copula cum consanguineo spirituali vel legali in gradibus matrimonium dirimentibus. (S. Alph. l. 4. n. 450)

394. IV. Stuprum est oppressio mulieris invitae. In stupro, ut per se liquet, gravis malitia contra justitiam committitur, sive mulier virgo sit, sive jam corrupta. Haec definitio differt ab ea quam antiquiores DD. e Jure Canonico (Causa 36. q. 1. c. 2) hauserant: "illicita virginis defloratio"; ex qua sequebatur ad stuprum non requiri vim, sed tantum integritatem virginalem. (2. 2. q. 154. a. 6) Praeferenda autem est prior

definitio, eo quod hic inquirimus de peccatis luxuriae specificè diversis in ordine ad confessionem. Jamvero, juxta sententiam probabiliorem (S. Alph. n. 443), copula habita cum virgine consentiente non addit gravem malitiam simplici fornicationi. Igitur virginitatis circumstantia non est accusanda a poenitente, nisi per accidens occasionem dederit gravi reatui, puta ob infamiam, vel parentum maerorem. (Ball. P. n. 79 seqq.)

V. Raptus est violenta abductio personae cujuscumque in alium locum ad libidinem explendam. (Bus. ap. S. Alph. n. 444)

Violentia illa inferri potest vel ipsi personae quae abducitur vel aliis quarum potestati ea subest, ex. gr. parentibus. Duplex est malitia raptus: una luxuriae, ob finem libidinosum; altera injustitiae erga personam raptam vel eos sub quorum custodia degit. Hinc moraliter spectatus, raptus magnam affinitatem habet cum stupro, a quo tamen discrepat eo quod in raptu non semper actu consummatur luxuriae peccatum.

IV. Sacrilegium est violatio rei sacrae, i. e. loci vel personae, per actum venereum.

De hac luxuriae specie sufficiunt quae n. 280 seqq. dicta sunt, ubi de sacrilegio, et Vol. II. n. 242 dicentur, ubi de ecclesiae pollutione.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATIS CONTRA NATURAM.

§ I. DE POLLUTIONE.

395. DEFINITIO. Pollutionem hic intellegimus plenam voluptatem veneream sine congressu cum alio habitam. In solis masculis puberibus eam comitatur seminis prolifici effusio. (n. 387)

ASSERTA. I. Pollutio directe voluntaria est semper intrinsece et graviter mala.

Attende eam esse *directe voluntariam*, etiamsi tantum intendatur ut medium ad finem a voluptate diversum assequendum, ex. gr. sanitatem, liberationem a gravi tentatione, etc. (n. 10) Praeterea notandum quae-